



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Quomodo tempore hæresum se habeat catholicus. tit. 192

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

gentibus omnes S. Martyres, tanquàm magi, infani, &c. Si ergo Christo & sanctis suis fidei confessoribus & testibus hoc factum, non mirum, si & nobis hoc faciunt sathanæ discipuli. Oportet attendere Matth. 5. Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum &c. Luc. 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

*QVVMODO TEMPORE*

*hæresum se habeat catholicus,  
ne erret.*

TITVLVS CXCII.

**P**RIMò, Christus iussit discipulos suos vigilare & orare, ne intrent in tentationem, Mat. 26. Ideo catholicus cum primis orare debet, ne eum Deus permittat cadere ab vnitae Catholica, Mat. 6. sicut Susanna orauit pro cõseruatione castitatis, quãdo à senibus sollicitabatur, Danie. 13. & adolescens pulcher Ioseph à fœmina Aegyptia, Gene. 39. Sic Ecclesia orat pro cõseruatione & tuitione ipsius propter Christum.

Secundò vigilare, id est, attendere diligenter ad caput, sicut inquit Cyprianus de simplicitate prælatorum. Nam ideo dedit Deus superioritatem, vt vnitas conferretur. Ideo debemus attendere tempore hæresum ad supremum Magistratum, & iuxta illum nos regere & constantes permanere. Ideo inquit Apostolus, Rom. 13. Omnis anima sit subiecta potestati.

At inquires : Quis est ille supremus magistratus? Nunquid Papa? nunquid Cæsar? Respondeo, illa licet sint præcipua capita ecclesie, attamẽ quia illi possunt errare, sicut Papa Liberius factus fuit Arrianus, qui tamen postea resipuit, & Constantinus Imperator similiter Arrianus est factus, ideo supremus magistratus

FF f 5 est

est concilium, cuius senatores sunt tota Cardinali  
& Episcoporum turba: ille habet immediatam potestatem à Christo, id est, proximā, (inquit Gerson p. 1. sermon. pro viagio regis Romanorum,) cui quilibet, cuiuscunque status sit vel dignitatis, tenetur obedire in ijs, quæ ad fidem pertinent, ac generalis reformationem Ecclesiæ in capite & membris, & iterum inquit Gerson: Conscribenda mihi prolius vide retur in omnibus eminentioribus locis hæc sententia: Concilium est supra Papam, propter adulatorios illos, qui contendunt Papam non esse subiectum generali concilio, neque iudicari posse. Item quod concilium generale, totum robur ab ipso habeat & cæte. vide latius. Ideo semper respiciendum est ad hanc supremam potestatem tempore hæresum, donec per aliud concilium aliud fiat decretum. Hæc obedientia ecclesiæ liberat conscientiam tuam.

Secundò, sic inquit August. in Epistola fundamenti contra Manichæos: Illud verum & securū est asserere, quod in gubernatione ecclesiæ Dei saluatoris nostri Iesu Christi, vniuersalis Ecclesiæ consensus est roboratum. Ergo omnis doctrina, quæ non habet consensum veteris ecclesiæ & fidem patrum, tibi inspecta esse debet, pro hac doctrina, Martyr Rossinus Episcopus, Thomas Morus, Anglici, & plerique alij occisi sunt, & propter hanc doctrinam omnes hæretici persequuntur catholicos. Sed beatus est, qui non abiit in consilium impiorum, Psalmodum. 1. & hæc est Ecclesia, quam Christus audire iubet Matt. 18. & Salomon admonet Prouerb. 22 non transgredi terminos patrum. Sic catholica nostra doctrina est approbata consensu veteris Ecclesiæ, sanguine patrum & veritate. At sectariorum doctrinam quis approbavit? Nemo ergo illi credit, nisi perniciose & temerè.

SEMEL